

minative, et ut quod, seu tamquam ens jam præsuppositum, non autem ex vi talis cognitionis consequitur illi entitas quam non habet, hoc enim est formari, et accipere esse rationis ex non esse, sed intelligitur ea entitas quam jam habet, atque adeo tunc non accipit esse rationis ex non esse, sed esse jam acceptum quasi reflexe attingitur: ergo tunc non formatur.

LVIII. Ad confirmationem respondeatur ex dictis, quod intellectus divinus cognoscens ens rationis formatum a nostro intellectu non dat illies se factum, neque continuat illud quod dabatur ab intellectu nostro, quia non eo modo cognoscit quo intellectus noster, et sic non continuat, sed cognoscit esse rationis tam præsuppositum, et formatum, non autem format, neque fingit, sicut id quod est falsum, vel opinatum potest cognosci vere, et demonstrative, et denominari cognitum vere, et demonstrative, sic ens rationis ab alio formatum et factum potest cognosci a Deo, non fingendo illud neque formando, sed solum reddendo cognitum denominative; et sic non continuat, nec format solus intellectus divinus id quod noster intellectus faciebat, vel fakturus preevidetur, quia non eo modo facit, et apprehendit, quo noster intellectus.

LIX. Quod vero dicitur in argumento de intellectu divino cognoscente ens rationis antecedenter ad intellectum nostrum, respondetur quod non cognoscit illud ut formatum, ad instar entis realis antecedenter ad intellectum nostrum, vel existentem, vel futurum, vel possibilem, licet non semper requirat intellectum nostrum actu existentem, quia non semper intelligit illud ut actu formatum, sed potest intelligere illud ut formandum respectu intellectus futuri, sed ut possibile for-

mari respectu intellectus possibilis. Si autem intelligat Deus ens illud rationis, non ut formatum ab alio intellectu, non potest intelligere illud ad instar entis realis, quod est sua cognitione formare, seu fingere illud, propter imperfectionem quam involvit iste modus intelligendi, ut dictum est. Unde quoad hoc perinde est Deum ab æterno videre ens rationis ut formatum ab intellectu jam existente, vel futuro, vel possibili: semper enim Deus cognoscit ens rationis ut formatum, vel formandum ab alio, non per se immediate fingit, et format.

ARTICULUS IV.

De quibus rebus Deus habeat propriam, et per se ideam.

I. Licet constet quod omne quod est formatum et productum a Deo debet habere ideam formativam ejus quod tali modo formabile est, de quibusdam tamen specialis est difficultas, utrum habeant de facto ideam in Deo, quia aliqualiter deficiunt a formatione divina. Et est difficultas de quinque generibus rerum. Primo, de pure possibilibus, quæ nunquam sunt, vel erunt, et sic de facto non sunt formata, seu ideata a Deo. Secundo, est materia prima quæ de se caret forma informante: ergo et ideante, quia id solum ideatur, quod formatur. Tertio, est malum, seu privatio, quia opponitur formæ qua privat: ergo et ideæ a qua est talis forma. Quarto, sunt accidentia quæ per se non sunt res formatæ, sed rei formatæ adjunguntur. Quinto, sunt individua quæ solum materialiter multiplicantur, non formaliter, et sic una idea, seu forma videtur pro individuis ejusdem speciei sufficere, non pro singulis individuis debet multiplicari.

II. Dico ergo primo: De pure possibilibus habet Deus de facto ideam, licet non habeat de facto executionem et exercitium ad extra talis ideæ, et quoad hoc non habet modum practicum, videlicet quoad efficaciam executionis, licet habeat virtutem practicam desed directivam et executivam ideati. Conclusio ista sumitur ex D. Thoma in præsentia articulo tertio, cuius ampliorem explicationem habet q. iii, de verit. art. vi: in præsenti si quidem distinguit in idea duplex officium, scilicet quod sit principium productionis, et quod sit ratio cognitionis. Et primo modo dicitur exemplar, secundo modo ratio cognoscendi, potestque ad speculativam scientiam pertinere. Et primo modo, respicit idea ea omnia quæ secundum aliquod tempus fiunt; secundo autem modo respicit etiam ea quæ nullo tempore fiunt, secundum quod cognoscuntur a Deo per modum speculationis. Ubi prima facie videtur D. Thomas dengare Deo ideam practicam respectu rerum possibilium, et solum speculativam admittere; cum tamen nulla detur idea speculativa tantum, id est, quæ solum sit forma ad cognoscendum, et non ad elaborandum rem artificiale, quod est ideare illam, sed tollit modum practicum ab idea rei possibilis, quia caret exercitio, et executione, quæ est efficacia practica. Explicat autem hanc mentem suam s. doctor quæstione citata de veritate, ubi inquit quod: «Idea respicit practicam cognitionem non solum actu, sed habitu. Unde cum Deus de his quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, habeat cognitionem virtualiter practicam, relinquuntur quod idea possit esse ejus quod nec est, nec fuit, nec erit, non tamen eo modo, sicut est eorum quæ sunt, aut erunt, aut fuerunt, quia scilicet respectu horum habet propositum voluntatis non respectu

aliorum.» Ecce explicatam mentem D. Thomæ ex ipsius verbis, dum fatetur, quod etiam respectu possibilium datur idea virtualiter practica, id est, virtutem practicam habens, quod ad essentiam ejus pertinet, licet careat proposito voluntatis, quod pertinet ad efficaciam applicationis, et executionis ejus; et sic vim formativam, et directivam, quæ ex parte intellectus se tenet, ibi habet, solum vero caret eo quod ex parte voluntatis se tenet, quod non pertinet ad vim formativam, sed ad executivam, seu applicativam ipsius ideæ.

III. Ex hoc autem deducitur fundamentum, et ratio conclusionis: nam respectu possibilium Deus habet vim formativam et ideativam eorum, sicut et omnipotentiam productivam: plura enim potest Deus facere, quam de facto fecit, aut facturus est, et ad id habet virtutem: ergo etiam ideam, si quidem cognoscit ea quæ potest facere, et modum quo potest facere, et quod illa solum per intellectus directionem, et artificium factibilia sunt; sicut omnia ea quæ creavit: ergo format ideam de illis. Patet consequentia, quia idea non est aliud quam forma per intellectum expressa, et formata, ut ad ejus instar aliquid fieri possit, et de modo quo fieri possit, sicut artifex creatus potest veram ideam formare de re quam nunquam intendit facere; sic Deus cognoscit plura quæ facere potest, et modum quo formare potest, licet non velit formare: habet ergo vim formativam ex parte intellectus: neque enim hanc libera voluntas constituit, cum pertineat ad perfectiōnem Dei habere vim formandi omnem creaturam quam potest, et sic necessario ei convenit talis vis formativa, et ideativa, et ex illis eligit, et determinat facere quod vult: non ergo per determinationem liberam

advenit ei idea, sed antecedenter ad omnem executionem eam habet ex parte intellectus, et artis.

IV. Dico secundo: Malum, privatio, defectus, et quidquid entitati opponitur, et ab ea deficit, caret idea in Deo. D. Thomas q. iii de ver. art. iv, et in præsenti ar. iii ad i, ita quod malum nullo modo ideam habet, neque sub modo speculativo, neque sub modo, et exercitio practico. Probatur, quia malum, et defectus non sunt ex intentione Dei, neque ex imitatione, et participatione ejus, prout parent entitate: ergo parent idea. Patet consequentia, quia idea est forma imitabilis, et participabilis ab ideato: ergo quidquid deficit a participatione, et imitatione Dei, deficit ab ejus idea, si quidem id quod participat, et imitatur Deum mediante idea imitatur, et participat: participatur enim Deus a creatura tamquam quoddam artefactum ab ipso, non tamquam effectus naturaliter procedens: omnia enim in sapientia fecit: ergo idem est carere creaturam imitatione Dei, et carere idea in Deo. Antecedens autem probatur, quia Deus cum sit primum, et summum ens, non potest aliquid causare, nisi sub ratione entis, quia unumquodque causat sub ea ratione et forma, qua in se constituitur; quod ergo in se est pure ens, et purus actus, non potest nisi sub ratione entis causare, non autem deficiendo ab ente, aut intendendo et imitando defectum entis, quia sic deficeret a se, et intenderet contra id quod est in se: ergo defectus, et malum non est ex imitatione, et idea divina, sed ex deficientia ab idea divina; et sic malum, et defectus non habent ideam in Deo quam imitentur, sed a qua deficiant, alias Deo auctore fieret aliquid pejus, et deficiens. Confirmatur, quia si Deus haberet ideam mali, et defectus, vel esset in idea defectuosa, vel perfec-

ta: defectuosa in Deo esse non potest, quia est summe perfectus: perfecta vero non potest esse idea mali, quia si ei conformatur ideatum, perfectum erit, cum ipsa idea perfecta sit. Si vero ei non conformatur, sed ab ea deficit, non habet ideam malum, quam imitetur, sed a qua deficit: ergo caret idea imitabili a se.

V. Dico tertio: Materia prima habet ideam in Deo, sed non distinctam ab idea compositi; secundum se autem, et in quantum pure informis, seu carens omni forma, caret etiam idea: itaque carens omni forma intrinseca, et informante, caret etiam omni extrinseca, et ideante, quia haec non nisi media aliqua forma intrinseca participatur in ideato. Non omnes auctores convenient in hac conclusione, sed est triplex modus sentiendi. Quidam absolute docent dari ideam materiæ secundum se, sicut datur idea formæ, quia existimant materiam secundum se, et non solum mediante forma, habere entitatem aliquam actualem, seu actum entitativum, licet careat, et sit in pura potentia ad actum formalem, seu a forma provenientem, et illud esse quod materiæ secundum se proprium est, ex Deo efficiente est: ergo etiam ex Deo ideante, quia quidquid efficit, per ideam efficit. Ita p. Vasquez hic disp. LXXIII, c. III; Molina super hunc articulum III; Suarez disp. XIII, met. sect. VI, et lib. III de attrib. posit. c. V, n. XIII, et alii, qui illam sententiam de entitate materiæ sequuntur.

VI. Alii qui existimant materiam primam esse ens pure potentiale, et carere omni actu, etiam entitativo, adhuc admittunt ideam respectu illius esse potentialis, quia licet actu careat forma et esse, dicit tamen ordinem, et capacitatem ad illud, et ad formam qua informari potest;

ergo et ad ideam: atque ita sicut ratione hujus capacitatis, et ordinis ad formam non est purum nihil sed vere, et proprie ens factum a Deo, ita debet habere ideam in Deo, saltem ut quid imperfectum, et inadæquatum, quia ipsa materia in se imperfectissimum ens est. Et habet haec sententia fundamentum in D. Thoma qui in I, dist. XXXVI, q. II, art. III ad II, docet in Deo dari ideam materiæ, licet inadæquatam, quia in se imperfectum esse habet secundum ultimum gradum essendi qui est esse in potentia, et ita licet perfectam ideam in Deo non habeat bene tamen imperfectam. Et in quæstione III de verit. art. V, docet quod si large accipiamus ideam pro similitudine, vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam ideam habere, quæ possunt distincte considerari, licet separatim esse non possint, et sic nihil prohibet materiæ primæ etiam secundum se ideamesse; et solutione ad secundum dicit quod existentis in potentia est idealis similitudo, etiam in actu. Idem debet poni ab his qui sentiunt materiam primam secundum se esse bonam, licet solum in se dicat ordinem ad formam, et careat forma, de quo diximus præcedenti tomo super q. V. Refert etiam Vasquez citato loco Albertum in I, dist. XXXV, art. X, expresse concedere ideam materiæ primæ in Deo.

VII. Denique, alii tenent materiam primam secundum se, et ut exutam omni forma, nullo modo habere ideam in Deo, nec ut est ratio cognoscendi, nec ut exemplar faciendi, quia D. Thomas absolute dicit, quod materia primo secundum se nec esse habere, nec cognoscibilis est, et sic caret idea, etiam ut est ratio cognoscendi. Imo Cajetanus supra hunc articulum tertium, dicit D. Thomam hic retractare quod dixerat de idea materiæ primæ in prima

sententia et in q. III de verit. quia docet materiam secundum se non esse cognoscibilem.

VIII. Nos ergo dicimus quod materia prima si consideretur secundum se, ut carens omni forma, sic ratione hujus status adjuncti, scilicet parentiæ omnis formæ, caret etiam idea, si autem consideretur sub alio statu, scilicet ut subjecta, et subordinata formæ, ideabilis est, sed ut contenta sub idea compositi, ut pars potentialis ejus, non autem ut distinctam ideam habens. Ratio primæ partis est, quia materia prima sub illo statu puræ potentialitatis, et parentiæ omnis formæ non est factibilis a Deo: ergo neque ideabilis. Consequentia est nostra, quia quod est ideabile est producibile, et causabile per talem ideam: ergo quod non est causabile, ideam non habet, per ideam enim produci potest quidquid illam habet, et sic non potest dici quod sit impracticabile, et infactibile absolute. Antecedens vero probatur ex his quæ late probavimus in physic. q. III, art. III, et I de generat. q. I, art. II, et tomo præcedenti, disp. VI, quod materia secundum se, et posita sub statu parentiæ omnis formæ, est incapax existentia; ergo est infactibilis sub illo statu, quia illud est factibile, quod potest poni extra causas et habere esse: poni enim extra causas est existere, seu existentiam habere, ergo quod in aliquo statu non potest habere existentiam, non potest poni extra causas: ergo neque est factibile, seu producibile. Quod autem materia prima ut carens omni forma sit incapax existentia, ibi ostendimus, quia existentia est actus secundus essendi, sicut operatio est actus secundus agendi, unde supponere debet necessario aliquem actum primum, alias nullo modo esset secundus, si primum non supponeret; actus autem primus ne-

cessario est aliqua forma, sicut actus secundus est existentia, quia existentia est ultimus actus qui intenditur in aliqua re, ita quod non datur ulterior actus intendendus ab agente in genere entitativo: quidquid enim est in potentia per hoc quod redditur existens, ponitur extra causas, et si aliquid ei deest, ideo est, quia illud quod deest non est existens in eo: existentia ergo se habet ut actus ultimus, seu secundus in genere essendi; et dicitur secundus, quia non pertinet ad constituendam rem in quidditate, et specie sua, sed in aliquo praedicato contingenti, scilicet esse extra causas, et hoc est quod est accidentale, et secundum, seu posterius essentiali, et quidditativo, quod tamen quia constituit in actu essentialiam, seu in specie sua, quæ aliquid actuale est, dicitur etiam actus, et forma, et primus actus, et forma, et primus actus, quia est prior ipso actu contingenti, seu accidental, et consecuto. Cum ergo dentur isti duo actus, scilicet primus, et secundus, repugnat quod actus secundus, seu ultimus conveniat alicui, nisi mediante actu primo, quia inter istos actus est essentialis coordinatio, sicut inter gradum vegetativi, et sensitivi, sicut inter potentiam operantem, et actionem quæ est operatio; nec enim potest operatio convenire cui non convenit potestas, seu actus primus operandi, sic neque actus secundus existendi extra causas, nisi cui convenit actus primus, quo aliquid formatur, et constituitur, alioquin ille non esset actus secundus, si primum non supponeret: at materia prima secundum se caret omni actu primo, quia caret omni forma tam substantiali, quam accidental, et in se non est forma, nec actus, sed receptaculum, et potentia ad actus; ergo caret omni actu secundo, qui est existentia. Et deinde, quia exis-

tentia non est de se actus determinatus ad aliquam speciem, sed generalis pro omni ente, quod extra causas potest poni, nec de se est forma constitutiva alicujus naturæ, seu quidditatis, quia nulli rei creatæ essentialis est, sed tantum ponit rem jam constitutam extra causas; determinatur autem ad hanc vel illam speciem, ratione naturæ cui advenit, et formæ cui convenit: materia autem prima omni forma carrens, et exuta ad nullam speciem determinatam pertinet, quia ad omnes illas pertinere potest, et reduci, ad quas pertinent formæ, quarum est capax; si ergo immediate in se reciperet existentiam, illa existentia ad nullum speciem determinatam pertineret, quod est impossibile, sed tamen esset existentia rei capacis diversarum specierum, quod est in se actu non esse determinatæ speciei, quod autem actu non est determinatæ speciei, quomodo potest esse determinatum individuum, et quomodo potest esse in rerum natura sine determinata singularitate et speciei? Plura de hoc diximus locis citatis ubi latius probationes hujus rei possunt videri.

IX. Dices: Esto ita sit quod materia non possit existere existentia determinatæ speciei et individuationis sine forma, tamen non tollit quin habeat propriam ideam secundum se, et si non ratione illius status: nam etiam res possibles sub statu illo possibilitatis non possunt existere, cum status existentiae repugnet statui possibilitatis, et tamen etiam sub illo statu habet ideam, ut supra admisimus: ergo eodem modo materia prima.

Confirmatur, quia sub illo statu licet careat omni forma, non tamen habitudine, et ordine ad formam, et capacitatem illius: hæc autem capacitas, etiam in quantum capacitas et habitudo, est aliquid factibile et

participabile a Deo, quia non est purum nihil, sed aliquid: ergo est ideabile a Deo.

X. Respondetur statum possibilitatis non esse statum sub quo res sunt formandæ, sed a quo sunt extrahendæ, seu status relinquendus tamquam ex parte termini a quo, non efficiendus, et talis status non impedit dari ideam de ipsa re possibile, licet non de statu ejus: quia sic status non sumitur ut ideabilis, seu sub idea comprehensus, sed ab idea relinquendus, sicut etiam ipsum nihil, a quo creature flunt, non impedit quod detur idea de creaturis, licet non de ipso nihilo, quia se habet nihil ut terminus a quo relinquendus, non formandus: at vero status materiae primæ, ut carentis omni forma, accipitur ut status sub quo materia sit ideabilis, tamquam sub illo posita, et existens, et inquirimus an sub isto statu posita ideabilis sit, non vero iste status accipitur ut ex parte termini a quo se tenens. Et sic dicimus quod materia sub illo statu posita caret idea, quia sub illo statu produci, et esse non potest.

XI. Ad confirmationem respondetur quod illa habitudo, et ordo materiae ad formam est aliquid factibile a Deo, distinguo: ut conjuncta alicui formæ, concedo; ut separata ab omni forma, nego. Ad consequentiam ergo est ideabilis a Deo, et habet ideam, distinguo: respicientem illam sub omni forma, nego; ut conjunctam alicui formæ, concedo.

XII. Instabis: Materia prima conjuncta alicui formæ habet habitudinem realem et existentem ad reliquias formas, quibus caret, est enim realis capacitas illarum; ergo illa habitudo ad reliquias formas est ideata a Deo, licet careat illis, ergo etiamsi careat illa quam habet, et omnia alia, potest manere idea de tali habitudine, quia realis habitudo

est nec enim ex oblatione formæ redditur illa habitudo non realis et nihil.

XIII. Respondetur illam habitudinem esse realem et ideatam a Deo, nec enim est aliud quam ipsa entitas materiæ, ut capax est formæ, sed habitudo, seu capacitas, et hæc entitas materiæ non potest poni in rerum natura, nisi ut coniuncta alicui formæ, et tunc manet realis capacitas, etiam ad alias formas, quas non habet. Et si illa forma amittatur, debet tamen aliam acquirere, et sic semper manere sub aliqua forma, ut ad alias quas non habet realem habitudinem dicat. Si vero omni forma exuatur exiuit omni esse, et sic non potest sub illo statu ideari, quia nec produci, et habere esse. Itaque non aliter philosophandum est de ista habitudine materiæ ad formas, quam de ipsa entitate materiæ, quia habitudo illa cum transcendentalis sit, non est aliquid quam ipsa entitas materiæ, seu capacitas ejus ad formam: entitas autem materiæ producitur, et formatur a Deo per ideam, sed ut adjuncta alicui formæ, et composito, non sine illis; sic ergo se habet illa habitudo, seu capacitas: de forma vero et aliis partibus compositi quomodo ideam habeant, statim dicemus.

XIV. Secunda vero pars conclusionis, scilicet quod materia prima ut adjuncta formæ ideam habeat, patet ex dictis, tum quia Deus habet ideam faciendi res ex nihilo, et non solum ex materia præsupposita: non potest autem facere ex nihilo, nisi ipsam materiam faciat, quia præsupponit illam, et tamen est res facta a Deo: ergo habet ideam de materia eo modo quo facit eam, scilicet ut adjunctam formæ; tum etiam quia materia prima, ut adjuncta formæ, non est nihil, sed realis entitas capax formæ, et constituens realiter compositum: ergo